

nihil de se aliud cogitans, nisi, præterita mala plangendo, flagitare Dei misericordiam, gratias ei agens pro tanto beneficio, Ingressi sine animo perseverandi, & exiens sine causa, tenetur solvere expensas factas monasterio, nisi aliunde, obsequiis ibi præstitis, eas compensaverit. Idem est de ingrediente bona fide, & exeunte sine causa, si pactum præcessit, aliquid dandi pro victu, & vestitu; hoc enim exigit æquitas justitiæ. Secus est de ingrediente bona fide absque ullo pacto, qui ex justitia ad eas non tenetur, nam religio eas tunc libere facit. In monialibus autem semper præsumitur adesse pactum, esto expresse non fiat.

37. Inq. 3. Quibus privilegiis gaudeant novitii? R. Gaudere omnibus privilegiis communibus religiosorum, quia in favorabilibus reputantur religiosi. Unde gaudent privilegio canonis, & fori cum cæteris, quibus fruuntur religiosi. Possunt a Prælati absolvi a censuris, peccatis, irregularitatibus, ac dispensari in votis sicut religiosi. Taliter quod si bona fide fuerint ingressi, esto subinde discedant a religione, liberi maneat, nec indigeant de novo ab eis absolvi, aut in eis dispensari, quia non absolvuntur sub conditione perseverandi, sed simpliciter, & absolute.

40. Inq. 4. Cui debeant novitii confiteri? R. Debere regulariter confiteri cum suo Magistro, ejus socio, vel Confessariis a Prælo deputatis; hoc enim consonat decretis pontificiis, ac expedit, ut sic melius possint dirigi in via spirituali. Valent tamen absolute confiteri, etiam inscio Prælo, cum Confessario approbato ab Episcopo, sive sæculari, sive regulari, adhuc a reservatis in religione, qui non sunt reservati pro novitiis, nisi exprimantur, quod rarissime convenit. Valent pariter uti privilegio cruciatæ pro eligendo Confessario ab Episcopo approbato, quia non sunt in rigore religiosi, quibus id vetitum est. Eadem ratione possunt eligere sepulturam, licet religiosi interdicitur sit electio sepulturæ ex cap. finali, de religiosis in 6. At si non eligant sepulturam, in conventu, in quo obeunt, sunt sepeliendi, ut tenet communis consuetudo fundata in eo, quod novitius ex parte sua se tradidit religioni. Si juvenes non dum induti, sed ad experimentum per aliquot dies in habitu sæculari in novitiatu retenti, infirmentur, vel decedant, possunt recipere omnia sacramenta a religiosis ejusdem Conventus, & in eorum Ecclesia, in consulto Parocho, sepeliri, quia de proximo accingendus infavorabilibus habetur pro accincto justa leg. penult. ff. de milit. testam. Vid. Luc. Ferrar. verb. Novitiat. n. 17.

41. Inq. 5. Quomodo sit facienda a novitii

tes, resurgere humilitas, obedientia, corporis mortificatio, solitudo, silentium, paupertas, modestia, passio Christi, & novissimorum meditatio, lectio spiritualis, & denique contemptus sæculi, sui ipsius, suæque commoditatis.

39. Inq. 3. Quibus privilegiis gaudeant novitii? R. Gaudere omnibus privilegiis communibus religiosorum, quia in favorabilibus reputantur religiosi. Unde gaudent privilegio canonis, & fori cum cæteris, quibus fruuntur religiosi. Possunt a Prælati absolvi a censuris, peccatis, irregularitatibus, ac dispensari in votis sicut religiosi. Taliter quod si bona fide fuerint ingressi, esto subinde discedant a religione, liberi maneat, nec indigeant de novo ab eis absolvi, aut in eis dispensari, quia non absolvuntur sub conditione perseverandi, sed simpliciter, & absolute.

40. Inq. 4. Cui debeant novitii confiteri? R. Debere regulariter confiteri cum suo Magistro, ejus socio, vel Confessariis a Prælo deputatis; hoc enim consonat decretis pontificiis, ac expedit, ut sic melius possint dirigi in via spirituali. Valent tamen absolute confiteri, etiam inscio Prælo, cum Confessario approbato ab Episcopo, sive sæculari, sive regulari, adhuc a reservatis in religione, qui non sunt reservati pro novitiis, nisi exprimantur, quod rarissime convenit. Valent pariter uti privilegio cruciatæ pro eligendo Confessario ab Episcopo approbato, quia non sunt in rigore religiosi, quibus id vetitum est. Eadem ratione possunt eligere sepulturam, licet religiosi interdicitur sit electio sepulturæ ex cap. finali, de religiosis in 6. At si non eligant sepulturam, in conventu, in quo obeunt, sunt sepeliendi, ut tenet communis consuetudo fundata in eo, quod novitius ex parte sua se tradidit religioni. Si juvenes non dum induti, sed ad experimentum per aliquot dies in habitu sæculari in novitiatu retenti, infirmentur, vel decedant, possunt recipere omnia sacramenta a religiosis ejusdem Conventus, & in eorum Ecclesia, in consulto Parocho, sepeliri, quia de proximo accingendus infavorabilibus habetur pro accincto justa leg. penult. ff. de milit. testam. Vid. Luc. Ferrar. verb. Novitiat. n. 17.

41. Inq. 5. Quomodo sit facienda a novitii

vi-

vito renuntiatio suorum bonorum? R. Quod nulla renuntiatio, aut obligatio bonorum facta a novitio est valida, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem, ait Trid. sess. 25. cap. 16. de regul. Unde quælibet renuntiatio, seu donatio liberalis facta a novitio est irrita, si careat dicta solemnitate, hoc est, nisi fiat prædicta licentia, & intra bimestre ante professionem, idest, completis decem mensibus novitiatu. In hoc autem bimestri quolibet die fieri valet, licet professio ex aliqua causa differatur. Non comprehendit hoc decretum donationes remuneratorias, nec contractus emptionis, & venditionis, nec alios, in quibus tantum recipitur, quantum datur, nec aliquas elemosynas exiguas, sed tantum donationes notabiles omnino liberales, & etiam quælibet renuntiationes beneficiorum. Nec comprehendit renuntiationes sine fraude, & dolo factas ante ingressum religionis, nec denique testamentum ante, vel post ingressum a novitio conditum cum solemnitate juris, nec donationes causa mortis, quia Concilium loquitur de renuntiatione, aut donatione inter vivos, quæ irrevocabilis est, pro ut suo loco diximus, non de testamentis, aut donationibus, quæ ad nutum revocari valent.

42. Pro quo nota, dupliciter posse novitium de suis bonis ante professionem disponere, nempe per testamentum, aut donationem causa mortis; vel per renuntiationem liberalem, aut donationem inter vivos. Igitur de dispositione liberali, aut inter vivos loquitur decretum conciliare, non vero de dispositione testamentaria, aut causa mortis. Hæc enim quocumque tempore valida existit absque prædicta solemnitate Concilii, dummodo fiat cum solemnitate juris civilis, vel juxta leges respectiva ditionis, aut regni.

43. Inq. 6. Quis succedat novitio morienti ab intestato, & nulla facta renuntiatione? R. Non monasterium, sed hæredes ab intestato ei succedere, quia monasterium, esto capax successionis hereditariæ, non succedit novitio, nisi media professione, ergo, hac deficiente, succedunt hæredes ab intestato. Verum bonis, quæ jure sanguinis adveniunt religioso jam professo, succedit religio capax succes-

sionis hereditariæ, ut diximus tract. 18.

## CAPUT II.

### De professione religiosa.

#### PUNCTUM I.

##### Notio, & effectus professionis religiose.

44. Inq. 1. Quid sit professio religiosa? R. Est contractus, quo homo sponte se ipsum tradit Deo in religione approbata, emittendo tria vota obedientiæ, castitatis, & paupertatis in manibus Prælati, nomine Dei en acceptantis. Duplex est professio, alia expressa, alia tacita, utraque eandem parit obligationem. Tacita est, quæ signis, aut actionibus inducitur; ut si novitius, completo anno probationis, & decimosexto ætatis, sponte, & scienter professorum actus exerceat, eorumque habitum deferat cum animo tacite profitendi, & Prælo consentiente, vel sic ordines sacros titulo paupertatis recipiat. Expressa est, quæ fit verbis coram Superiore, vel communitate juxta consuetudinem, & præscriptum cuiusque ordinis. Quoniam licet valida sit professio facta solo Superiore; debet tamen fieri coram communitate, vel saltem aliquibus, qui, dum opus fuerit, de illa testificari valeant. Ita fit apud nos, & scribitur in libro professionum cum subscriptione professi, Prælati, Magistri novitiorum, & aliorum duorum Sacerdotum, qui professioni assisterunt; ut præscribitur in nostris legibus 2. part. cap. 2.

45. Inq. 2. Quis gaudeat potestate admittendi ad professionem? R. In primis sum. Pontificem ea gaudere pro omni religione. Deinde jure communi competit hæc potestas Prælo immediato ex consensu sui Capituli, vel majoris partis illius. Quælibet religio consulat proprias leges. Apud nos Prior, vel Suprior in ejus absentia, vel alius de ejus commissione, præcedente consensu capituli, & licentia Provincialis, potest admittere novitios ad professionem. Licentia Provincialis non requiritur ad validum, sed ad licitum. Alii Prælati Superiores, ut Ge-

neralis, & Provincialis valent cum consensu monasterii, & non aliter, novitius ad professionem admittente, quia potestas existens in Prælo inferiori cumulative competit Superiori. Imo esto inferior reluctaret, posset Superior ex consensu majoris partis capituli novitium ad professionem admittente. Non officit valori professionis, quod eam emittens, vel acceptans sit excommunicatus vitandus, quia neuter exercet actum jurisdictionis spiritualis, ut patet in monialibus.

46. Inq. 3. Quot sint effectus professionis religiosæ? R. Septem communiter assignari. 1. Est plenissima omnium peccatorum remissio quoad poenam temporalem: ita ut si religiosus existens in gratia, statim post professionem decederet, sine mora in cœlum evoleret, quod competit professioni, non ex applicatione thesauri Ecclesiæ, sicut indulgentiæ, sed ex merito ipsius excellentissimi operis profecti, dicandique se Deo totaliter. Alii ajunt eundem effectum obtineri, quoties ex animo renovatur professio, ita ut religiosus eodem modo illam emitteret, ac si nunquam emisisset; quod pie assertum excitat religiosos ad sedulam renovationem, & præcipue ad eam faciendam in articulo mortis. 2. Effectus est ablatio irregularitatis ex defectu natalium ad ordines sacros, non ad Prælaturas. 3. Est liberatio filii a patria potestate. 4. Ablatio ingratitudinis filii adversus patrem, qui nequit deinceps exheredare eum. 5. Dissolutio matrimonii rati, non consummati. 6. Commutare omnia vota antea facta in ipsam professionem; omnia quippe includuntur in ea eminenter. 7. Obligatio reciproca religiosi ad religionem, & religionis ad religiosum, ita ut religiosus maneat obligatus serviendi religioni, & traditus potestati dominativæ Prælatorum, ad obediendum eis juxta regulam, & constitutiones ordinis, & simul religio obligata maneat, providendo religioso de omnibus necessariis juxta statuta ejusdem religionis, non juxta placitum cujusvis particularis. Intelligant hoc bene religiosi.

47. Professio nulla nullum effectum ex assignatis producit; producet tamen illos, si postea revalidetur. Pariter ex professione nulla ex defectu ætatis, anni no-

vitatus, aut consensus nulla oritur obligatio; & idem est, si profectus intendit se obligare solum ad vota in religione. At si professio sit nulla ex alio capite, ut ex defectu potestatis in admittente, vel quia sine licentia uxoris conjugatus, vel servus sine consensu domini profectur, obligat professio absolute emissa, in vi voti simplicis, ut colligitur ex cap. Quidam. Cap. Placet. de convers. conjugat. Ubi deciditur, quod professio conjugati sine licentia uxoris emissa obligat ad non petendum debitum, & abstinendum ab alio matrimonio, mortuo conjugate, ob votum castitatis in professione, alias nulla, emissum, ergo dicta professio obligat in vi voti simplicis. Actus enim, qui non valet, ut fit, valet, ut fieri potest; ex cap. unic. De despons. imp. in 6. Nisi a jure omnino irritetur, ut professio absque legitima ætate, vel approbatione emissa.

48. Inq. 4. Quomodo sit ratificanda professio nulla? R. Sub distinctione. Professio enim potest esse nulla, vel ex defectu publico, ut ex defectu ætatis, aut anni integri probationis, & in hoc casu publice debet ratificari, renovando consensum ex parte profectis, & admittentis, ut possit de illa constare. Vel potest esse nulla ex parte profectis, quia fecte, aut ex metu consentit; & tunc sufficit, quod ille apponat novum consensum, sicut in simili de revalidatione matrimonii diximus; vel potest esse nulla ex parte admittentis; ut si fecte, aut sine potestate admisit, & tunc supposito, quod perseveret consensus novitii, & illam exprimat in portatione habitus professorum, actusque eorum exercendo, consensus admittentis supletur a Papa, ut patet ex cap. Ad nostram. Cap. Significatum, de regular.

49. Inq. 5. An regulares facti Episcopi, aut Cardinales teneantur ad observantias suæ professionis? R. Teneri tribus votis substantialibus, & ad portandum habitum suæ religionis; quia vere manent religiosi, & hæc observantia non opponitur ministerio Episcopali, aut Cardinalitio. Alia autem vota, regulam, & constitutiones observare non tenentur, nisi ex debito honestatis, & decentiæ, quia ratione status absolventur a jure regulæ. Teneantur igitur peculiariter ex vi voti obedire, non

Præ-

Prælo religionis; sed summo Pontifici nec valet testari, quia caret dominio bonorum, & tantum sunt administratores reddituum Ecclesiæ, seu Episcopatus.

50. Inq. 6. An religiosus sit licitus transitus ab una ad aliam religionem? R. Hoc pendere ex circumstantiis, & causis ob quas transitus intenditur. Si enim intendatur peculiari impulsu Dei, zelo majoris perfectionis, vel causa infirmitatis, aut debilitatis, ob quam non valet quis onera arctioris religionis portare, licitus est transitus factus cum legitima licentia humiliter petita, & obtenta, juxta disposita in constitutionibus ejusque ordinis: in eis namque, & in decretis pontificis, & conciliaribus præscribitur a quo hujusmodi licentia sit impetranda. Si autem fiat transitus sine debita licentia, vel subreptitæ, vi, aut dolo obtenta, vel ex levitate animi cum scandalo, aut dedecore prioris religionis, est graviter illicitus, ut ex se patet. Imo est apostasia, & ut talis puniendi. Raro, & maturo judicio consulendus est transitus hujusmodi, non quia nequeat esse licitus, sed quia Diabolus habet mille nocendi artes, & quia regulariter melius est in assumpto statu perseverare, quam alium, esto arctiorem, quaerere juxta moctum Apostoli. 1. ad cor. 7. unusquisque permaneat in vocatione, qua vocatus est.

51. Inq. 7. An regularis possit reclamare de nullitate professionis? R. Posse, si de illius nullitate sibi constet (non aliter) cum triplici conditione. 1. Ut habitum non deponat tempore reclamationis, nec lite pendente, nec sine licentia fugiat, aut discedat. 2. Ut causam nullitatis iustinat coram Superiore suo, & Ordinario, quibus non seorsim, sed simul competit de illa judicare. 3. Ut fiat reclamatio intra quinque annos a die professionis, quo elapso, clausa est janua ad reclamandum. Urinam ita claudatur, ut nemini aperiat! Vix vovit intra quinque annos reclamare, sed postquam expensis religionis sunt corpore saginati, Sacerdotioque initiati, tunc incipiunt agere, quod Cham, & Absalon cum suis patribus, aut Aristoteles cum Platone. Naeciscuntur suos Mecenates sæculares, quorum auxilio, ultra scandala publica, perturbant religionem. Heu patronis, &

clientibus! Ajunt, quod talis regularis nihil jam in religione proficiet. Sed dicant nobis, qui in religione nihil proficiet, quantum proficiet in sæculo? Qui intra claustra religiosa nequam est, quid erit extra? An vult scutere jugum, cui se subdidit, ut sit melior, & perfectior in sæculo? Portentosa perfectio! Transacto quinque annis nequit reclamari sine facultate a Pontifice obtenta, juxta præscripta a Benedicto XIV. in consti. Si dasam, edita 4. Martii anno 1748. quæ omnino videnda est.

## PUNCTUM II.

## De apostatis, &amp; fugitivis.

52. Inq. 1. In quo differat apostata a fugitivo? R. Differre in eo, quod apostata deserit cœnobium animo non redeundi: fugitivus vero animo redeundi: pro quo de materiali est, quod dimittat habitum, aut non. Tres species apostasiæ reperiantur, nempe a fide, ab ordine Clericali, & a regulari instituto, vel a religione. Apostasia igitur a religione, omissis aliis, definitur: *Recessus, quo religiosus professus deserit monasterium, animo ex-cutiendi in perpetuum jugum obedientiæ, ac religionis.* Fuga autem est recessus a monasterio sine licentia, non in perpetuum, sed ad tempus. Igitur qui, etiam dimisso habitu, vagatur extra claustra solum ad tempus, non est apostata, sed fugitivus in foro interno; licet in externo ut apostata judicetur, & puniatur.

53. Inq. 2. An religiosus absque licentia recedens a monasterio animo accedendi ad Superiores sit apostata, vel fugitivus? R. Esse graviter illicitum talem recessum religiosi, nisi certo injuste graventur a Prælo inferiori, & nequeant scripto, vel alia via monere Superiores de suo gravamine; quod vix accedere valet, maxime apud nos, cum cuilibet sit liberum scribere sine Prælati registro ad Superiores. Verum in rigore religiosus sic discedens a cœnobio non est proprie apostata, cum illud non deserat in perpetuum; nec fugitivus, si via recta tendat ad Superiores, & nequeat aliter vitare gravamen certo injustum, quo in casu nec peccat graviter. At quia casus est valde rarus, &

Egg 2

sca-

sæpe, fidei prætextu injuste vexationis, ideo talis recessus iudicatur absolute graviter illicitus, & scandalosus, & ut talis puniatur a nostris constitutionibus 4. par. cap. 4. Regularis fugitivus sive cum habitu, vel sine illo potest, & debet incarcerari ab Episcopo loci, ut eum Superioribus consignet juxta decreta Urbani VIII. ut ait Bened. XIV. in *Syn. lib. 13. cap. XI. no. 14.*

54. Prælati tenentur perquirere sollicitè apostatas, & fugitivos, ac compellere eos etiam censuris, ut redeant ad religionem, ipsis enim suorum subditorum cura incumbit, & de eorum manibus sanguis illorum requiretur. Si vero id nequeant agere sine ordinis dedecore, & sæcularium scandalo, differre valent ad tempus opportunum eorum capturam. Ipse autem apostata, & fugitivus in statu peccati gravis, quando non redeunt, & ipso facto excommunicati; quod de apostatis constat ex variis Bullis pontificiis, & de fugitivis, si habitum dimittant, ex cap. 2. *Ut periculosa in 6.* Esto autem illum non dimittant, saltem post octavam diem apud nos publicantur excommunicati omnes fugitivi. Pariter quilibet apostatæ auxilio, consilio, aut favore cooperans est ipso facto excommunicatus; fit enim particeps peccati, & censuræ apostatæ, & fugitivi, si ut tali faveat.

55. Sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda vetita est religiosi dimissio temeraria habitus, ut occasio vagandi eis præcludatur. Quæ excommunicatio incurritur ex dimissione habitus etiam intra claustra, quoties sit temeraria. At si temeraria non sit, sed rationalis, aut ex aliqua causa, non incurritur intra, nec extra. Igitur ad incurrendam censuram non sufficit quælibet nudatio habitus, sed requiritur temeraria ejus dimissio, vel indutio alterius ex motivo vagandi. Verum licet habitus non dimittatur, si tamen alio sæculari ita occultetur, ut nec minima pars ejus appareat, non excusatur religiosus a censura, quia moraliter idem est dimittere habitum, ac ita illum occultare, dum fit temerarie, aut ex motivo se larvandi, & ut incognitus liberius incedat. Datur tamen parvitas materiæ, ut si per unam, aut duas tantum horas maxime

intra domum recreationis gratia fiat. 56. Dices: Clerici sæculares proprium habitum deponentes, aut alium superinduentes, ut larvati incedant, non peccant graviter, ergo nec religiosi. Resp. negant. Quia etiam clerici sæculares occultantes personam diverso habitu, aut larva, vulgo *mascara*, ut liberius vagent per viccos, plateas, aut theatra, graviter peccant, ut communis opinio tenet, nisi parvitas materiæ eos a gravi excuset; a fortiori igitur peccant religiosi ita larvati, aut personati.

## PUNCTUM III.

## De clausura regularium.

57. Inq. 1. An religiosi ad clausuram teneantur? R. affirm. Quia tum ex jure naturali professionis, qua se tradunt religioni, tum ex jure canonico sic disponente, tum etiam ex jure peculiari cujusque religionis astringuntur religiosi ad non exendum de conventu sine debita licentia. Hæc obligatio est gravis ex genere suo; unde juxta quantitatem, & qualitatem egressus sine licentia erit gravis, aut leve peccatum. Egressus enim nocturnus, esto brevis, reputatur gravis, & idem est de alio quovis egressu, ex quo dedecus religioni, vel scandalum scientibus proveniat. Egressus autem diurnus, brevis, & sine speciali nota, erit tantum levis culpa; clausura enim religiosorum non est adeo stricta, sicut est clausura monialium, de qua postea. Sed recogitet sæpe religiosus, ad quid elegit sponte clausuram? Ad quid eam libere professus est, nisi ad eam custodiendam, & ab vitanda in ea plura bella, & pericula, quæ imminet extra? Assidue repetat secum illam verissimam sententiam S. Bernardi.

*Pax est in cella, foras autem plurius bella.*

58. Inq. 2. Quæ licentia requiratur, ut religiosus licite exeat a conventu? R. In decretis Clement. VIII. & Urban. VIII. sic decerni: *Nullus a conventu egredi valeat, nisi ex causa cum socio, licentiaque singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta a Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumque*

exi-

exituro adjungat non petentis rogatu, sed arbitrio suo, nec eundem sepiat. Licentia vero generales exeundi nulli omnino concedantur. Igitur requiritur licentia expressa superioris localis pro qualibet vice, & non sufficit tacita, nec generalis, nisi in casu urgentis necessitatis. Quæ caret lege.

59. Ut autem licentia sit valida, triplex requiritur conditio, nempe quod sit voluntaria, legitima, & justa. Illa est voluntaria, quæ sponte conceditur, quæ vero metu, vi, fraude, aut dolo extorquetur; vel permittitur ad vitandas preces importunas, querelas, & murmurationes subditi, invalida est. Consideret hoc religiosus licentiam petens, & fortasse rarius illam postulabit. Legitima est, quæ conceditur a vero Prælato, sive Superiori, sive immediato juxta statuta cujusque ordinis. Justa autem est, quæ ex rationabili, & sufficienti causa obtinetur. Semper, ac religiosus exit cum licentia, esto alias illicite data, aut obtenta, excusatur a violatione clausuræ in foro externo; at non semper in foro interno. Unusquisque consulat proprii ordinis constitutiones, in quibus præscribitur, quando, quomodo, & qua licentia exire a domo religiosi valeant.

60. Inq. 3. Quid nomine clausuræ intelligatur? R. Intelligi monasteria, seu conventus in quibus religiosi communiter degunt, & totum spatium, quod septis monasterii cingitur, & porta communi clauditur. Est autem duplex clausura, a jure, & ab homine. Clausura a jure sunt dormitoria, refectoria, & aliæ officinæ interiores, & hæc est invariabilis. Clausura ab homine est, quæ præscribitur a Generali, vel Provinciali, aut peculiari decreto religionis, ut pro hospitibus, hortu, viridario, sacristia, aut choro, dum dubitatur, an sint vere clausura ob annexionem immediatam cum Ecclesia, quæ proinde, mutatis circumstantiis, ab eodem Superiore, vel successore variari potest, dum ita expedire videatur.

61. Sub poena excommunicationis majoris, ipso facto incurrenda, vetitum est religiosi introducere, admittere, seu comitari foeminas intra clausuram; ita ut Prælati, & janitor, quibus cura clau-

sura incumbit, eidem poenæ subjaceant, si eas, jam ingressas, non repellant. Ceteri vero religiosi excusantur a mortali, & censura, si eas non comitentur, quia non tenentur ex officio ad custodiam clausuræ. Unde poterunt se occultare, ne altercationibus se immisceant. Si tamen facile eas excludere possint, debent id prudenter suadere. Ipsi etiam foeminis sub eadem censura prohibendum est ingredi scienter in monasteria virorum; nisi ad vitandam mortem, aut aliud valde grave nocuumque proprium, vel alienum, quod aliter vitari nequeat, intrare cogantur. Nec ratione processionum, aut comitandi Eucharistiam, vel alterius operis pietatis erga Deum ingredi valent clausuram, ut constat ex const. *Regularis disciplina* edita a Benedict. XIV. die 3. Jan. 1742. *Vide tract. 3. n. 192.*

## PUNCTUM IV.

## De clausura monialium.

62. Inq. 1. Quo jure astringantur moniales ad clausuram? R. jure ecclesiastico; nam licet sit consentanea sexui foeminarum, & valde conveniens pro tuenda castitate; nullo tamen jure naturali, aut divino ei præcepta est adeo stricta clausura. Inducta igitur fuit primo a Bonifacio VIII. cap. *Periculoso*, de statu regul. in 6. & innovata effectibus a Trident. sess. 25. de regul. cap. 5. ac denique confirmata a Pio V. aliisque decretis pontificis sub poena excommunicationis Pontifici reservata, ipso facto incurrenda a monialibus exeuntibus & clausura, & privationis officiorum, & inhabilitatis ad ea obtinenda. Sub eisdem poenis prohibentur Abbatissæ, seu Priorissæ, & aliæ, quibus cura clausuræ incumbit, admittere intra clausuram personas extraneas cujuscumque sexus, & ætatis, comprehensas etiam pueris, & puellis ante usum rationis. Ita tenent aliqui innixi declarationi S. Congreg. atque idem ajunt de admissione puellarum infantium intra clausuram virorum, & hoc est unice amplectendum. Violatio clausuræ monialium ad finem inhonestum est casus ubique peculiariter Pontifici reservatus, si fuerit publica; si vero occulta, tantum in

Ita-

Italia, extra Urbem.

63. Inq. 2. An pro quolibet ingressu, aut egressu etiam medico incurrantur poenae pro violatione clausurae impositae? Resp. Quod licet quidam admittant parvitate materiae unum, aut duos passus intra, aut extra; alii verius ajunt, quod, apposito vero ingressu respectu extranei, aut totali egressu respectu monialis, incurritur censura cum ceteris poenis. Nam verus ingressus, aut egressus est vera transgressio praeccepti. Igitur solum est admittendum modicum, seu parvitas materiae, dum ingressus, aut egressus non est totalis, ut si una pars tantum corporis sit intra, & alia pars extra. Unde si monialis se poneret in rota, camque volveret ad partem externam, licet a rota non egrederetur, violaret clausuram, quia esset extra eam. Idem dicunt plures (sed mihi non probatur) de ascendente supra tecum conventus. Idem etiam de stante in limine ostii, maxime si, hoc clauso, moveret extra limen. Monialis egressa a suo monasterio, & ingressa in aliud contiguum, causa curiositatis incurrit excommunicationem. Episcopi, & alii monialium Praelati, absque necessitate clausuram ingredientes, eandem censuram, aliasque poenas incurrunr. Electio Abbatissae, & aliorum officiorum non intra conventum, sed ad crates praecise debent fieri; ad id enim ingressus non est necessarius, ut patet exemplo nostrarum monialium, quae dictas electiones ad crates perficiunt, & expresse cavetur a Trident. sess. 25. cap. 7. de reg.

64. Inquires 3. An aliquando sine licentia Pontificis possint egredi moniales e monasterio? Resp. Posse in triplici casu designato a Pio V. nempe in casu incendii, leprae, & epidemiae. Ad hos casus reducuntur alii consimiles, inundationis, belli, rui nae conventus, in quibus, si possint adiri Episcopus, & alii Praelati, quibus subsunt moniales, de eorum licentia expressa, sin autem ex tacita, egredi valent. Pro aliis vero casibus translationis monialium de uno ad alium conventum, etiam ejusdem ordinis, sive pro nova fundatione, sive pro Praelatura obdanda Pontificis licentia requiritur juxta varia decreta sac. congreg. Moniales iter

agentes in casibus indicatis egent peculiari licentia Pontificis, si velint hospitari in conventibus monialium etiam ejusdem ordinis; nisi gravis necessitas aliud deposcat, quia cum gravi necessitate, incommodo, aut periculo leges humanae obligare nolunt. Hinc vir, aut foemina ad vitandam mortem, vel aliud imminens grave periculum possent ingredi clausuram monialium, animo statim, remoto periculo, exeundi.

65. Imo extra periculum adeo urgens licitus est ingressus in clausuram monialium, quoties gravis utilitas corporis, aut animae earum ita postulet. Unde ingredi possunt cum legitima licentia Confessarii ad sacramenta ministranda moniali, non potest accedere ad loca confessionis, aut communionis juxta statuta cuiusque ordinis. In quo non debet nimis scrupulose peragi cum monialibus, privando eas hoc spirituali solatio. Si Sacerdote monialibus Eucharistiam ministrante, una, vel plures particulae per ostium intra clausuram dicantur, poterunt ipsae suis digitis eas colligere, & in pixide ponere, ut paratis ad communionem ministrantur. Vel poterunt ab eisdem propria lingua devote accipi. Et pavimento, vel quid quid tetigerint particulae spongias lavent, & radant, & tam lotio, quam abrasio in piscinam mittendae Sacerdoti tradantur. Idemque fiat quoties aliqua sacra particula, vel gutta sanguinis in terram cadant; lotio ex casu hostiae fieri valet a clerico, ex efusione vero sanguinis a solo Sacerdote, aut in ejus defectu a Diacono. Si cadat particula intra vestes, aut peccus foeminae, ipsa debet suis digitis eam extrahere, & in pixide reponere, lavare vestem, & digitos, & lotionem Sacerdoti tradere, ut in piscinam projiciat. Denique in casu monialium non inficior, quod Sacerdos ingrediatur clausuram pro reverentia Sacramenti ad colligendas particulas. Moniales enim perturbatae vix audebunt eas tangere, nec sumere, lavare, radere pavimento, & efcere alia, quae expediunt: praestat quippe reverentia sacramenti praeccepto humano clausurae. Possunt etiam ingredi medici, & chirurgi ad curandas infirmas; operarii, artifices, bajuli, & famuli, cel familiae ad portaada

onc-

onera, qui omnes, finito negotio, quantocius exire debeat sub poena excommunicationis Pontifici reservata. Eandem censuram incurrit viri, aut foeminae, qui cum saxo, ligno, aut alio onere intrant, sub praetextu deferendi necessaria pro fabrica, aut conventu, quando commutatur unus pro alio, cum nonsint de servitio. Item Ducissae, Comitissae, & aliae personae nobiles, ingredientes praetextu facultatum a Pontifice obtentorum. Quando autem intrant cum vera facultate Pontificia, possunt secum deferre duas foeminas honestas pro suo comitatu. Ingressi clausuram monialium pro Missa celebranda in choro, vel oratorio, est abusus saepe reprobatus a sac. congreg. Unde, secluso indulto Pontificio, sub eisdem poenis, & censuris prohibetur. Pariter est abusus admittere intra clausuram famulas saeculares ad serviendum monialibus. Puellae educandae, excepto septimo aetatis anno, & non antea admitti possunt cum licentia sac. congreg. Accidit tamen non semel in Urbe dispensari, ut etiam quinquagenae ingrediantur.

66. Inq. 4. An novitiae sint compellendae egredi e monasterio, pro exploranda earum voluntate profiteri? Resp. Quia, si novitiae nolint profiteri, nemo potest eas detinere in monasterio. Nota enim est excommunicatio lata a Tridentino contra cogentes foeminas in monasterium ingredi, aut profiteri. Aliunde pro suo arbitrio valent exire in perpetuum, & exploratio voluntatis optime fieri potest ad januam, vel ad crates, solis remanentibus exploratore, & exploranda: igitur nequeunt compelli ad egressum. Unde abusus valde improbandus est, quod novitiae pridie ante professionem praetextu libertatis totam percurrant civitatem; apud suos prandant, & alia hujusmodi, quae plus distractioni, quam edificationi, & devotioni deserviunt.

#### PUNCTUM VI.

##### De prohibitione moniales alloquendi.

67. Inq. 1. Quo jure sit prohibita allocutio cum monialibus? R. In cap. Cum ad monasteria, de vita, & honest. cleric. prohiberi frequentem accessum clericorum ad moniales. Et cap. Periculoso de statu

regul. in 6. Tam clericis, quam religiosis, & saecularibus, ut moniales, munitis aspectibus separatae, Deo soli vacare valeant, vetitus fuit idem accessus. At Sixtus V. strictius illum regularibus interdixit, aliasque decreta Pontificia adeo severe talem accessum regularibus prohibent, ut violatores rei peccati mortalis fiant, privationeque officiorum, vocis activa, & passiva, aliisque poenis ab Episcopo, tamquam Sedis apostolicae delegato, puniri possint. Unde regularis sine licentia Episcopi alloquens monialem, etiam per modicum tempus, aut post concionem eis habitam, adhuc de rebus spiritualibus, vel in ipsa concione tractatis, peccat graviter, & praedictis poenis est obnoxius juxta varias declarationes S. Congreg. Nequit tamen ex eis inferri non dari parvitate materiae in re, de qua agitur; alloqui enim cum moniali unum, aut aliud verbum ex rationabili causa, aut urbanitatis gratia nullum peccatum est, vel veniale non excedit. Imo alloqui Superiorissimam solum circa negotia monasterii, aut alio prudenti motivo, ajunt plures, non esse prohibitum, saltem extra Romam. Quolibet prohibitio mere humana juxta regulas prudentiae est intelligenda.

68. In materia clausurae, & allocutionis cum extraneis, maxime regularibus, religiosae, etiam exemptae subsunt Episcopis tamquam Sedis apostolicae delegatis. Item tam pro egressu a clausura in casibus supra dictis, quam pro allocutione cum regularibus, etiam ejusdem ordinis, praeter licentiam proprii Praelati, deposcunt decreta congregationis licentiam Episcopi. Ea tamen non indigent pro allocutione Generalis, Provincialis, Visitor, Superior localis, & Confessarii monialium sibi subjectarum; excipiuntur enim, & quidem rationabiliter, in decreto Sixti V. Episcopus autem juxta eadem decreta solum potest concedere licentiam per quatuor vices ad summum quolibet anno cuiusque regulari, ut moniales sibi in primo, vel secundo tantum consanguinitatis gradu conjunctas convenire, & alloqui possit; sed non in adventu, quadragesima, feria sexta, sabatho, vigiliis, nec diebus festis; quae licentia subscribi debeat a Superiori regulari Pro-

mo-

monialibus sibi subjectis, registrari, & consignari Confessario, qui cum auscultatrice simul assistat. Solemnis profecto allocutio! Ita tamen præscripta est. Plurima ad sunt hujusmodi decreta, sed non omnia sunt ubique usu recepta, nec sibi coherent, ut videre est apud Pignatelli tom. 8. Consult. 48.

69. Sed notandum has leges, & prohibitiones strictas allocutionis monialium in nostra Hispania, vel numquam viguisse, vel si aliquando usu recepte sunt, jam in desuetudinem abierunt; consuetudo enim contraria plusquam centenaria, & immemorialis præscribere abs dubio potuit, contra præfatam legem, & eam abrogare. Disciplina, quæ hodie observatur, hæc est. Episcopi, vel Prælati regulares committunt suas vices Abbatissis, aut Priorissis suæ respectivæ filiationis, ut possint licentiam præstare suis subditis ad alloquendum, quibus opportunum sibi visum fuerit; ita ut hæc facultas, quæ proxime ortum ducit a Prælata, radicaliter proveniat a Superiore. Quæ doctrina confirmat, & elucidat, quod diximus de Confessore, extraordinarium, eum nempe postquam suum Officium implevit, posse cum prædicta licentia ad idem monasterium redire, & alloqui, sicut antea poterat. Prohibitio enim Bullæ: *Pastoralis curæ*: fundatur, & supponit legem prohibitivam in communi, & tantum obligat, ubi illa lex communis est in viridi observantia. Denique habendum est præ oculis, quod in una Florentina decrevit Sacra Congregatio, nempe: *Quoad accessum, & colloquium cum monialibus servanda est consuetudo, Quoad licentiam ingrediendi intra septa servandum est Concilium.* Si consuetudo servanda est in allocutione monialium, in Hispania nulla est consuetudo confabulandi cum tanta solemnitate, sufficit namque urbanitas religiosa, utilitas, vel necessitas, simulque licentia Prælatorum, modo in suis respectivæ constitutionibus præscripto. Intelligant tamen Sanctimoniales crucifixas debere esse mundo, ejusque confabulationibus, veluti sponsas Christi, & crates pro supplicio habere, uti exemplo, & scriptis docebat Serafica Mater Santa Teresia. Vid. Bened. XIV. in Synod. Dioces. lib. 13. cap. 12. n. 23.

## PUNCTUM VI.

*De prohibitione facta regularibus non appellandi a correctionibus, & sententiis suorum Superiorum.*

70. Inq. 1. Quid sit appellatio? R. Appellatio in genere est a minori ad majorem Superiorem provocatio. Appellatio autem propria, & juridica est provocatio causa a minori ad Superiorem Judicem ratione illati, vel inferendi gravaminis, quæ iniquitas sententiæ corrigitur. Duplex autem est sententia, alia definitiva, quæ fertur super causa principali, ut si Titius est homicida; alia interlocutoria, quæ fertur super dubiis emergentibus in causa, ut super teste admittendo, vel dilatione concedenda. Apud ecclesiasticos, & regulares debet fieri appellatio coram Judice, qui sententiam tulit intra decem dies a notificatione sententiæ, secluso omni impedimento, quod stante, non currit tempus. Supponitur neminem posse appellare a Judice arbitrario, quia eligitur sponte a partibus, quasi eo ipso cedunt beneficio appellationis. Supponitur etiam esse injustam appellationem a sententia certo justa, ut ex se patet; licitum vero secularibus a sententia quomodolibet injusta. Omnia docet D. Thom. 2. 2. q. 69. ar. 3.

71. Inq. 2. Quid in jure sit dispositum circa appellationem regularium? R. 1. Ex jure communi in primis esse prohibitam religiosis appellationem a correctionibus, & mandatis a suis Prælati legitime factis. Deinde præter aliorum summorum Pontificum extat prohibitio Clem. VIII. appellandi ad Prælatos proprios, vel extraneos, ut ad Nuntium, vel Papam sub pena excommunicationis Pontifici reservata, & privationes officiorum, vocisque activæ, & passivæ, ipso facto incurrenda. Quod merito indultum est religionibus ob earum pacem, honorem, & disciplinam, quæ ex appellationibus non parum perturbantur, quando causa regularium extra producuntur, & ad Judices extraneos deferuntur. Quæ propter placuit Pontificibus, juri suo cedendo, negare appellationem etiam ad seipsos, vel

vel suos Nuntios, ut pacem, & disciplinam regularem conservarent. Si autem quandoque aliquis particularis ob id gravetur, debet juste id tolerare ob religionis bonum commune.

72. Unde a penis justè inflictis juxta statuta ordinis nequit religiosus appellare intra, nec extra ordinem, sed illas patienter tolerare debet. Imo a sententiis causarum, quæ infamiam non generant, nec continent penas rigorosas, ut carceris, duræ flagellationis, aut privationis officiorum, nequit juridice appellare intra ordinem, & minus extra, licet Prælatum aliquantulum excedat justitiam, vel statuta religionis. Solum potest tunc ad Superiorem sui ordinis per simplicem querelam recurrere. Si vero hic recursus non sufficiat, debet religiosus hoc Deo offerre, patienterque sustinere. Nam id etiam debent facere clerici correcti, & puniti in visitatione ab Episcopis, a quorum punitione nequeunt appellare, alias actum esset de disciplina ecclesiastica, & regulari.

73. R. 2. Posse regulares appellare juridice a sententiis certo, & manifeste injustis in causis gravissimis, infamiam, & penas rigorosas continentibus, si aliter nequeant gravamen evadere, quia in tali casu se defendere auxilio appellationis, propulsando injuriam gravissimam, & certam, est de jure naturali superiori omni privilegio positivo. Imo tunc casus ob eandem rationem, si alia via non suppetat, & appellatio denegetur, posset religiosus, secluso scandalo, fugere recta via ad Superiorem, ut coram eo appellationem interponat. Sed quia hujusmodi casus vix contingere valent in religionibus, ideo Tridentinum absolute denegat talem recessum a conventibus, & privilegia appellationum regularibus. Omnino illicitum est religiosis appellare ad Judices seculares; hoc enim vetitum est eis sub eisdem penis privationis vocis activæ, & passivæ, & excommunicationis late sententiæ Pontifici reservatæ a Bonifacio IX. & Leone X. a quibus sub eisdem penis prohibetur religiosis appellare ad Episcopos, aut eorum Vicarios. Quare tantum valent appellare de injuria gravissima notoria, & manifesta (minime de dubia,

aut probabili) ad Superiores ordinis, & ad Pontificem, servato ordinis jure.

74. Inq. 3. Quo ordine debeat fieri appellatio in casu permissio religiosi? R. Fieri debere sequenti ordine: a Priori ad Provinciale; ab isto ad Generalem; ab hoc ad Capitulum generale; ab hoc ad Protectorem; ab isto ad sac. cong. & ab hac ad Pontificem. Ita constat ex Bullis Sixti V. & Urbani VIII. & ex declaratione sacr. congreg. Unde sub gravi debet servari hic ordo, ut fiat appellatio juxta ordinem juris. Nec aliquando fieri valet ad Nuntium; nisi constet speciali gaudere commissione, ac jurisdictione supra privilegia, ac laudatas Bullas. Hinc dolendum maxime est conspicere quosdam regulares, passim ex quocumque motivo appellantes ad Tribunalia extranea sub prætextu injuriarum, quibus fingunt se a Superioribus crudeliter vexari: in quo plane nihil aliud efficiunt, quam in honorare suam matrem, seipsos amplius maculare, & infamare, atque alios scandalizare. Merito Lezana cum aliis illos vocat parricidas, & matricidas, ingratas bestias, maculas convivantes fluctus feri maris, despumantes suas confusiones. Væ! Et iterum væ illis! Sint ipsi veri, & humiles filii; & Prælati erunt ipsi veri, & piensissimi patres. Pro subditis bonis nullus Prælati est malus; pro malis nullus est bonus, nam, ut alibi diximus debent Prælati:

*Parcere subjectis, & debellare superbos.*

## PUNCTUM VII.

*De prohibitione alienandi bona Ecclesiæ, aut monasterii.*

75. Inq. 1. Quid in jure sit dispositum circa alienationem bonorum Ecclesiæ, vel monasterii? R. Prohiberi alienationem rerum immobilium, vel mobilium pretiosarum, quæ servando servari possunt absque causa, & legitima solemnitate, sub pena Prælati inferioribus Episcopis excommunicationis, & privationis officii, beneficii, & administrationis bonorum, quæ alienare intendunt, ipso facto incurrenda; Episcopis autem, & Abbatibus jurisdictione qua

si Episcopali ornatis, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesie, in quo si per sex menses perseveraverint, suspenduntur a presidia spirituali, & temporali. Irrita est etiam talis alienatio, ita ut, si emptor mala fide egerit, privetur prætio quod Ecclesie, vel monasterio applicari debet. Si autem bona fide se gesserit, & res non existit, nec monasterium, aut Ecclesia ditius sit factum, pariter pretium amittit; onus tamen compensandi ei pretium incumbit illi, qui nomine Ecclesie contraxit. Omnia constant ex decreto congreg. 7. *Septembris 1624.* approbato ab Urbano VIII. revocando privilegia in contrarium, & renovando extravagantem *Ambitiosæ Pauli H.*

76. Inq. 2. Quæ sint bona, quæ in dicta extravagantibus prohibentur alienari? R. Esse imprimis bona immobilia, ut fundus, prædia, domus, vineæ, & alia fixam radicem habentia, census, jus ad illos, commenda, cathedra, beneficia, patronatus, ususfructus longi temporis, & similia. Deinde bona mobilia pretiosa, quæ servari possunt, ut lampades, vasa, & alia instrumenta aurea, vel argentea, gemmæ, vestes, aliaque paramenta pretiosa, quæ triennio durant, bibliotheca, greges ovium, seu armentorum, licet hæc, aut illa capita alienentur, dummodo grex conservetur. Idem est de sylvis, esto aliquæ arbores scindantur. Omnia hæc quæ triennio durant, & viginti aureorum valorem excedunt, reputantur bona inalienabilia. Item reliquæ insignes, ut caput, manus, brachium, aut pes alicujus sancti, quia licet non sint prætio æstimabilia, sunt tamen res pretiosissimæ. Pecunia alienari valet, nisi quæ traditur in dotem maritalis, vel accipitur ad imponendum, vel habetur ex licita venditione rei immobilis, aut mobilis pretiosæ.

77. Inq. 3. Qui sint contractus in hac materia vetiti, & irritati a jure? R. Sunt venditio, donatio, feudum, emphiteusis, locatio ultra triennium, sumere census, etiam redimibiles, oppignorare, hypotecare, & probabilis etiam permutare bona unius Ecclesie cum alia, & renuntiare hereditati Ecclesie, vel monasterio relicte, quia jus ad immobilia repu-

tatur bonum immobile, ut declaravit S. Congr. Hi omnes contractus, facti sine solemnitate, irritantur sub indicatis pœnis in laudata extravagantibus *Ambitiosæ.*

78. Inq. 4. Quæ sit solemnitas requisita pro alienatione rerum Ecclesie, vel monasterii? R. Consistere in quinque conditionibus, quarum aliqua deficiente, nulla est alienatio. 1. Est quod præcedat tractatus, seu examen inter capitulares de utilitate, aut necessitate alienationis rei. 2. Est consensus majoris partis capituli. 3. Licentia Prælati Superioris, ut Episcopi, aut Provincialis respective. 4. Subscriptio capitularium facta saltem a notario pro venditione, permutatione, & donatione. 5. Licentia Pontificis, & Congregationis, ubi prædicta extravagantibus est recepta, & in Hispania non est in usu. Quibus potest addi causa alienandi, sine qua invalida est alienatio, esto fiat cum solemnitate, sicut pariter est nulla, licet fiat cum causa, si deficiat præfata solemnitas. Aliquando tamen erit valida sine solemnitate, si fiat ex causa urgentis necessitatis; vel si relinquatur legatum ea conditione, ut a monasterio possit libere alienari. At esto relinquatur sub conditione illud non alienandi, servata justa causa, & solemnitate requisita, poterit alienari; quia legator nequit juri derogare.

79. Inq. 5. Quotuplex causa detur pro licita alienatione prædictarum rerum? R. Quatuor dari causas. 1. Necessitas solvendi debita, quæ aliter solvi nequeunt, vel reparandi Ecclesiam, aut monasterium, quin aliunde possit reparari. 2. Evidens utilitas, ut si vendatur domus, aut ager, ut utilior ematur; vel calix, ut pretiosior habeatur. 3. Incommoditas, seu inutilitas rei alienandæ, & pro illa possit haberi alia utilis, & commoda. 4. Pietas, & religio, ut si alienatio sit necessaria pro redimendis captivis, aut alendis pauperibus constitutis in extrema, aut quasi extrema necessitate. Stante qualibet ex dictis causis, licita est alienatio facta cum solemnitate; imo etiam sine illa, uti diximus, si necessitas urgeat.

Punc-

## PUNCTUM VIII.

De prohibitione ne regulares exercent officia judicis, advocati, & alia.

80. Inq. 1. Quid in jure decernatur circa hanc materiam? R. Quod, ut religiosi segregati a strepitu judiciali, liberius Deo vacent, vetitum est illis sub gravi exercere officia judicis, advocati, procuratoris, tabellionis, notarii, testis coram iudice non suo, actoris, vel rei nomine proprio, nisi sub duplici conditione, nempe præcedente licentia Prælati, & interveniente utilitate notabili monasterii. Verum, servata hac duplici conditione, non est prohibitum religiosi exercere officium judicis. Unde possunt esse vicarii Episcoporum, & iudices conservatores, nisi obstat alia prohibito pontificia, aut propria, ut apud nos habetur. Possunt etiam eligi Iudices assessores, & etiam arbitri, exceptis Franciscanis, quibus hæc officia penitus interducuntur. Judex autem arbitrator quilibet regularis potest esse; solum enim est compositor amicabilis partium, vel inter partes.

81. Similiter sub dicta duplici conditione valet regularis esse advocatus, & procurator in judicio Ecclesiastico, vel sæculari, seclusa speciali prohibitione suæ religionis. Unde potest constitui advocatus proprii ordinis religiosi, non vero alterius; quia in hoc casu non intervenit utilitas monasterii proprii, sed alieni. Potest etiam esse advocatus, vel procurator pro defensione Episcopi, patroni, vel alterius insignis benefactoris, & etiam egenorum, viduarum, & aliarum personarum miserabilium, quia in his omnibus reputatur non levis utilitas religionis. Extra judicium autem potest quilibet religiosus etiam Franciscanus, procurare, & advocare prudentia, atque justitia mediante, pro defensione cujuscumque personæ; hoc enim nullibi est vetitum, & merito, cum sit opus caritatis. Verius censo officia judicis, advocati, & procuratoris exercita absque dicta duplici conditione, esse, nedum graviter illicita, sed etiam invalida; est enim dicta duplex conditio quedam actus solemnitas,

qua deficiente, nullus est actus.

82. Officium tabellionis omnino est prohibitum religiosi, nisi pro causis fidei sanctæ Inquisitionis, vel dum creatur notarii a suis Superioribus ad intimanda privilegia, & indulta apostolica ordini concessa, personis ecclesiasticis, aut sæcularibus; vel ad conficienda instrumenta necessaria pro causis intra ordinem. Qui in sæculo erat tabellio, vel notarius, valet jam professus conficere testamenta, & alia instrumenta in casu necessitatis, alio deficiente, ut tempore belli, aut pestis, quia necessitas non habet legem.

83. Officium testis potest exercere quilibet religiosus, etiam Franciscanus, de licentia sui Prælati localis, tam in judicio, quam extra illud. Si autem sit testis sine licentia Prælati coram iudice non suo, peccat graviter. In qualibet scriptura extra judicium potest esse testis, & etiam in testamento ad suum conventum spectante. Nequit tamen Prælatum dare licentiam, nec cogere religiosum in causa sanguinis, nisi ejus testimonium sit necessarium ad liberandum a morte innocentem; tunc enim in defectu aliorum testium cogi potest a Prælato proprio, non vero ab alio. Si autem Judex sæcularis cogeret religiosum ad testificandum in causa civili, aut criminali, peccaret graviter, & incurreret excommunicationem Pontifici reservatam.

84. In nulla causa valet religiosus comparere in judicio nomine proprio, quia omnia ejus jura, & actiones, etiam pro injuriis sibi illatis, competant monasterio; quare non ipse, sed monasterium debet petere, & respondere in judicio. Aliqui quosdam assignant casus, in quibus ipse religiosus valet pro se in judicio comparere, ut si litiget contra Prælatos; sed hos casus satius est commendare silentio; diximus quippe supra, quales sint hujusmodi religiosi, qui extra ordinem despiciunt suas confusiones. Quoties autem religiosus litigat contra Prælatos, cogitur monasterium duplicato dolore suppeditare illi expensas ad litem necessarias, nisi peculium habeat; hoc enim permittitur eo fine, ut ex illo religiosus sibi necessaria provideat ad casus occurrentes. Si autem illud non habeat,

Hhh 2

beat,

beat. monasterio incumbit ei providere de expensis, sive litigium discutiatur intra, sive extra ordinem.

85. Curatoris, vel tutoris munus est omnino prohibere religiosis, & merito; quia dedecet eos, & quia nulla habent bona, quæ pro administranda tutela obligationi subjiciant. Hac ipsa ratione nequeunt esse fidejussores, nisi de licentia Prælati, & de consensu majoris partis capituli, quibus stantibus, potius communitas, quam religiosus, evadit fidejussor. Eodem modo, & non aliter potest religiosus esse depositarius; si vero aliter accipiat depositum notabile, peccat graviter contra obedientiam, & paupertatem.

## CAPUT III.

De triplici voto obedientiæ, castitatis, & paupertatis.

## PUNCTUM I.

De voto obedientiæ.

86. Inq. 1. Quid sit votum obedientiæ? R. Est deliberata promissio Deo facta obediendi propriis Superioribus præcipientibus juxta regulam, & constitutiones sui ordinis. Hoc votum est præstantius aliis duobus castitatis, & paupertatis; quia per castitatem offert homo Deo suum corpus, per paupertatem res temporales, per obedientiam vero suam voluntatem, & libertatem. Unde obedientia dicitur *servitium propriæ voluntatis*. Alia est obedientia materialis, aut generalis, que non est specialis virtus, sed in actibus omnium virtutum exercetur; sicut inobediencia materialis non est speciale peccatum, sed in omni peccato reperitur. Alia est obedientia formalis, que per se respicit præceptum ut tale, & hæc est specialis virtus, sicut inobediencia formalis est, que procedit ex intentione directa agendi contra præceptum, & hæc est speciale vitium prædictæ virtuti contrarium, estque contemptus formalis præcepti, ac proinde gravissimum peccatum. Non obedire autem ex aliis capitibus Superioris mandatio est etiam speciale peccatum inobedienciæ, licet non adeo grave.

87. Quatuor condiciones debet habere obedientia perfecta. 1. Quod sit *cæca* non absolute, ita ut, si v. g. Papa aliquid juberet, & alii Prælati; huic, & non illi esset obediendum; hoc enim intolerabile absurdum est, sed ne respiciat qualitates individuales, aut defectus Superioris, nec præcepti causas scrutetur, quærendo, *Quare?* vel *cur mihi?* & non alteri hoc præcipitur? Sufficit, quod non sit malum, quod jubetur, ut subditus, clausis oculis, ad litteram illud exequatur. 2. Quod sit *prompta*; nam verus obediens non pigre, lente, aut tarde, sed festinanter jussa adimplet. 3. Quod sit *fortis*, non tepide, aut timide, sed viriliter, & strenue, quod jubetur, fiat. 4. Quod sit *humilis*; humilitas enim est germana obedientiæ. Unde vere humilis, erit verus obediens. Contra vero, qui non est humilis, nunquam erit verus obediens. Ideo pauci inveniuntur veri obediens, quia pauci reperiuntur veri humiles. Hanc humilitatem commendavit Dominus, dum Discipulis dixit: *cum hæc omnia feceritis, que præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus, quod facere debuimus, fecimus.* Luc. 17.

88. Quatuor item gradus reperiuntur in obedientia. 1. Est exterioris exequi, quod præcipitur. 2. Id facere cum voluntate. 3. Facere etiam illud cum intellectu, hoc est, judicans id esse, quod convenit, quidquid oppositum rationes carnis oblatrent. 4. Obedire non solum præceptis, sed etiam insinuationibus, & voluntati, quomodocumque cognita, Prælati. Ad quod maxime conducit, quod religiosus in suo Prælate Deum consideret, ut sic ejus vocem, ac voluntatem, tamquam Dei voluntatem, & vocem exaudiat, & exequatur. Nam ut ait D. Bernardus *Opusc. de præcept. & disp. cap. 12. Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, hunc secus accipiendum est, quam si præcipiat Deus.* Attende, quod non displiceat Deo, nam quod displicet Deo, nullatenus est faciendum; sed in in casu dubii debet Superiori obediri. Verus obediens errare nequit.

89. Triplex obedientia assignatur a D. Thom. nempe *necessitatis, perfectionis, &*

*indiscreta*. Obedientia *necessitatis*, seu *sufficiens* respicit præceptum, & hoc est ejus objectum proximum, seu ratio *sub qua*. Objectum autem remotum, seu *ratio quæ* sunt omnia, quæ continentur in regula tacite, vel expresse, & quæ ad ejus perfectam observantiam conducunt. Ad hæc enim obligatur religiosus ex vi voti in professione; ideo hæc obedientia dicitur *necessitatis*, quia ex vi voti necessaria est, & etiam est sufficiens, quia amplius non promittitur in voto. Obedientia *perfectionis* nec respicit præceptum, nec limitatur ad regulam; sed se extendit ad omnia, quæ illicita non sunt. Unde perfectus obediens non curat, si, quod præcipitur, est supra, vel præter regulam, sed seipsum in omnibus, quæ licita sunt, Prælatorum voluntati submittit, etiam præveniendò eorum voluntatem, quomodolibet agnam. Hic est *vir*, qui loquatur *victorias*; hic in summa pace vivit in religione; & tandem in æternum requiescet in pace, quia in humeris alienis ascendit in æternam pacem. Primus gradus obedientiæ est *necessitatis*, cæteri sunt *perfectionis*. Obedientia, quæ etiam in illicitis obedit, est imprudentissima, & appellatur *indiscreta* a D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. ad 3. 90. Inq. 2. Quot titulis teneatur religiosus obedire Prælati? R. Ex triplici titulo, nempe titulo traditionis humanæ, quæ se tradidit religioni, & voluntati Superiorum: titulo voti Deo emissi obediendi Prælati ob ejus amorem: ac titulo jurisdictionis ecclesiasticæ, quæ gaudent Prælati super suos subditos. Unde religiosus violans præceptum formale Superioris duplex specie peccatum committit; aliud contra votum, aliud contra justitiam ratione prædictæ traditionis. Præceptum formale apud nos extra visitationem non obligat, ut tale, nisi in scriptis, & his verbis ponatur: *In virtute Spiritus sancti, sanctæ obedientiæ, & sub præcepto*. Igitur præcepto formale tenetur subditus sub gravi obedire; mandatis autem simplicibus Superiorum sub veniali; mandis vero eorum, seu exhortationibus sub consilio. Verum si Superior interdum suspendit præcipere, aut prohibere, ut evitet subditi querelam, debet hic sub culpa facere, aut omitti-

re, quod Superior optat, aut renuit fieri, aut omitti a subdito agnoscente illius voluntatem. Sæpe enim Prælati silent, tacent, & quædam mala permittunt, ut majora evitentur, sed subditi a culpa non excussantur. *Dices*: subditus triplici titulo tenetur obedire Prælati, ergo si non obedit, triplex peccatum committit. R. neg. consequ. Quia Prælati in suis præceptis non utuntur regulariter tertio titulo jurisdictionis Ecclesiasticæ.

91. Inq. 3. Quibus Prælati, & quo ordine teneantur subditi obedire? R. In primis summ. Pontifici, ut supremo Prælate, cui omnes religiones immédiate subsunt. Deinde Capitulis, & Definitoribus generalibus, Generali, & Provinciali, & Capitulis Provincialibus. Denique Prælati locali, aut in ejus absentia post unum diem naturalem, ejus Vicario, aut Præsidenti. Non tenetur subditus obedire sibi inferioribus, nisi adsit præceptum Superioris ita disponens.

## PUNCTUM II.

De materia obedientiæ.

92. Inq. 1. Quenam sit materia obedientiæ? R. Esse omne id, quod continetur in regula, & constitutionibus tacite, vel expresse. Unde totum id, quod ad earum observantiam conducit, possunt præcipere Prælati, & subditus tenetur exequi obedientiam necessitatis juxta qualitatem rei præceptæ, aut modi præcipiendi. Ideo potest præcipere Prælati sub gravi rem ex se levem, si ad præfata observantiam ita conducatur, ut ne quis in celam alterius, vel in aliquam bonum sine licentia expressa ingrediatur. Cæterum ob unius, vel alterius culpam nequit Prælati imponere præceptum grave toti communitati, sed tantum transgressorii, & idem est de Generali respectu totius ordinis, & de Provinciali respectu provincie, quia non debent ob alicujus, vel aliquorum culpam innocentes præceptis gravare. Non tenetur Prælati causam præcepti exprimere, non enim tenetur suis subditis rationem de omnibus reddere, aut causas præcipiendi revelare, & sufficit rem præceptam ad majorem observantiam conducere, ut possit eam præcipere. Nihil.